

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio inauguralis medica de convulsionibus
parturientium**

Bartels, Joannes

Kiliae Holsatorum, [1799?]

VD18 13388371

Sect. II. Causae morbi convulsivi parturientium.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9123

pus vehementer huc vel illuc agitari potest.

Epilepsia vehementissima est corporis distentio convulsiva et spastica, quae a convulsionibus reliquis, male affecto cerebro, omnium sensuum ac mentis functionibus interceptis, et actionibus vitalibus debilitatis, satis superque discrepat. Haud raro haec diversa morborum genera tam vario modo confluunt, et in singulis symptomatibus ita variant, ut interdum nosologici systematis locum recte definire, sit difficillimum.

Sect. II.

Causae morbi convulsivi parturientium.

Causis, e quibus morbi parturientium convulsivi nascuntur, praesertim adnumerandae sunt:

I. Ventriculi, intestinorum, et viscerum abdominis irritamenta, uti sordes primarum viarum praesertim acidae, vini vel alius incitantis potionis abusus, venena, alimenta flatum excitantia,

vermes, bilis acrior, et quae sunt alia, omnibus, praecipue vero gravidis convulsiones adferre possunt, nam earum systema nervosum nimis irritatum, circulatio sanguinis accelerata, corporisque calor auctus est, secretiones frequentiores fiunt, bilis et succus pancreaticus praesertim, majore copia, sed mutata et deteriore conditione secerantur. Sic in alimenta non recte vim suam exserere possunt, quae hac de causa haud concota in stomacho manent, adeoque saepe putrescunt. Quam arcto commercio ventriculus cum cerebro est conjunctus, neminem fugit. Dolor capitis qui haud raro tanta vehementia furit, ut inde vertigo, temulentia vel ipsa epilepsia oriatur, notum est depravatae concoctionis symptoma.

○ Epilepsiam ab acrimoniis biliosis non raro originem trahere sponte apparet, nam saepissime infantes, cum iratae matris lac eorum ventriculum intraverit, epilepsia perturbantur. Vermes, sordes acidae aliaeque, cum nervos canalis

intestinorum rodant, picam, spasmus et convulsiones efficere possunt. Aer seu flatus, qui e cibis in intestinis explicatur, non minus in horum morborum causas est referendus. Omnibus cibis majori vel minori copia inest, et calore, quo cuncta corpora sunt praedita animalia, oppido extenditur, ampliolem igitur locum occupat, intendit canalem intestinorum partesque proximas irritat. Quo statu hic vel ille nervus premitur; cujus pressura vel potius, quae inde oriuntur perturbationes, usque ad cerebrum propagari et convulsiones atque epilepsiam excitare possunt. Cardialgiae frequentissima causa est flatus, quo remoto saepissime conquiescit. Non vero semper a neglecta diaeta gravidarum pendet concoctio perturbata, sed tot tantasque alias ejus animadvertimus causas, uti plethoram partialem ventriculi, quae facillime impedito sanguinis hepatici et splenici circuitu, extenso utero parato, oritur, dispositionem hystericam, suppressam

transpirationem, horum vel illorum obstructionem viscerum, quae sanguinis congestiones singulis partibus, igitur etiam cerebro afferre, et sic convulsionibus et epilepsiae saeviendi facultatem atque copiam praebere potest.

II. Irritamenta mechanica, quae cerebrum nervosque afficiunt, quorum in censum omnia harum partium vitia organica laesionesque, cunctae morborum materiae, quae in has partes metastasi sunt translatae, atque suppressio consuetae excretionis sunt referenda. Cerebrum premere vel alio modo irritare et convulsiones ciere possunt.

III. Plethora vera et spuria. Si plus sanguinis corpori inest, quam ad id servandum desideratur, quod multitudinis causa non sine molestia moveri potest, vera est plethora, spuria autem, si non abundans, sed vel nimis extensus per vasa fluit sanguis, vel ita debilitatum est cordis et aortae systema, ut illud non satis violenter sanguinem edere, haec vero non recte eum propellere possit,

Ut taceam illam plethorae spuriae speciem, quae non a mole sanguinis sed a vasis vel natura vel spasmo nimis coarctatis pendet. Quae quidem plethorae spuriae genera ad molem, ad vires et ad spatium appellare solent pathologi. In gravidis profecto motus epileptici causa frequentissima est plethora. Plerumque statim post conceptionem definit fluxus menstruus, sanguis igitur, qui hac via foeminis detrahebatur in corpore manet, et fortasse non omnis ad foetum alendum requiritur; huc accedit vita sedentaria et lauta, qua gravidae plerumque delectantur; his de causis inde facile oriri posse veram plethoram patet. Spuriam multa alia, de quibus plura deinde monere licebit, efficere possunt.

Si abundanter gravidarum corpori inest sanguis, facile proxima vasa sanguifera premere potest uterus, qui singulis mensibus magis magisque extenditur. Qua quidem re sanguinis circulatio ita perturbatur, ut a superiore corporis

parte descendens sanguis haud sine impedimento ad inferiorem fluere possit, sed a cerebro retineatur, vasa sanguifera igitur extendit, ut majorem locum occupent, et sic cerebrum comprimant. E cerebri compressione motus epilepticos oriri posse neminem fugit. Hac, quam nunc descripsi, ratione, mulier per quodvis graviditatis tempus, ob nimiam sanguinis abundantiam, hoc morbo laborare potest; quo facilius vero sub partu hoc fit nunc est demonstrandum.

Primum, totum mulieris corpus doloribus ad partum necessariis quasi movetur, cunctaeque actiones accelerantur, calor igitur quieto statu est major; ubi vero in corpore animali auctus animadvertitur calor, profecto etiam fluida, vasaque in quibus manant sunt extensa, quo magis autem accidit, eo magis premitur cerebrum.

Deinde sub partu uterus et foetus in eo, partim propria vi, partim contractione muscutorum abdominis, in

pelvim et descendentem aortam ita premitur, ut sanguinis circulatio impediatur, magisque ad superiores partes ducatur, quo non minus quam antea, compressio cerebri oriri potest.

Denique cum eo tempore, quo natura partum perficit, corpus in spastico statu versetur, et spasmii congestiones ad omnes partes efficere possint, probabiliter maxime hoc ad eos fit partes, in quibus minimus reperitur spasmus, hoc vero sine dubio in cerebro esse, nemo est qui nesciat, qua de causa illud facillime congestionibus exponitur, quae eadem ratione qua antea ei nocent.

Abundantiam sanguinis etiam in aliis partibus per irritamenta in nervos hunc morbum efficere posse, fere persuasum mihi habeo. Quae de spuria plethora, quatenus horum morborum est causa, monenda sunt, ex iis de infirmitate totius corporis dicendis, apparebunt.

IV. Totius corporis infirmitas et praesertim valde irritabile nervorum systema, profecto haud rarius hujus

morbi est causa, quam plethora, haec saepius in validis ruris foeminis, illa vero in mollibus urbis muliebribus animadvertitur. Corpus saepe ita debilitatur, ut parturiens ad partum necessarios dolores non rite perficere possit, quo variae motuum perturbationes oriuntur.

Quaevis magna fluidorum exinanitio, longus morbus; moestitia et alia, ad infirmitatem procreandam facultatem atque copiam praebent. Ubi illa reperitur, a quolibet parvo tantum irritamine systema nervosum valde afficitur, et ita movetur, ut veram epilepsiam efficere possit. Irritabile nervorum systema a parentibus ad liberos propagatur, quo hereditaria epilepsia est explicanda.

V. Animi perturbationes, uti terror, iracundia et cetera, celeriter vel saevius vel lenius in cerebrum vim suam exerunt, quod pro horum vehementia et sua irritabilitate, magis vel minus afficitur. Cum quodlibet irritamentum, ubicunque sit, impetum sanguinis ad

has partes efficiat, et semper si animus affectionibus perturbatur, ad fervorum redigatur sanguis, sine dubio hic magis ad cerebrum fluit et eodem modo quo antea quod No. III explicavi foeminam epilepsia tentabit. Moeror, desiderium et amor infelix haud tam velociter sed serius, si antea corpori has efficientem infirmitatem pepererunt convulsiones et epilepsiam parant.

VI. Magnum, quod jam diu ad partum intravit caput infantis, matris vero nimis angusta pelvis, fibrae rigidae genitalium, uteri orificium valde sensibile atque induratum, quod ut satis dilate- tur haud patitur. Crassiores tantum- modo musculos procreasse convulsio- nes Levret observavit, quae probabiliter e nimia fibrarum muscularium irritabi- litate originem trahebant. Caput nimis magnum, hoc tempore jam valde irri- tata genitalia, vehementer extendit. Fibrae rigidae non minus partum, quia obstant parturientium doloribus, re- tardant, quam angusta pelvis, atque

uteri orificium nimis irritabile et induratum. Quolibet partu longinquo premuntur atque extenduntur genitalia, quo durante irritamento inflammationes harum partium oriri nervique pelvis ita affici possunt, ut inde convulsiones et motus epileptici proficiscantur.

Sic omnia, quae partus tempore eum retardant, exempli gratia situs obliquus uteri, quodlibet ejus structurae vitium, quilibet naturae repugnans infantis situs, deficientesque dolores ad epilepsiae causas referenda sunt.

VII. Infans jam in utero mortuus et putrefactus. Num infans, qui in utero e vita excessit, partum, quia vis vitalis ei deest, retardet, et haec ad eum feliciter perficiendum desideretur, haud discernere audeo, et adhuc sub judice lis est. Hoc quidem constat, infantis jam re vera putrefacti caput non ita orificium uteri, mollitiei causa extendere posse, quam integro statu, in quo ossa duritia, membranae vero vi elastica gaudent. Tarde igitur (hoc experientia

docet) procedit partus, doloresque non vehementer sed lente doloribus trudentur. Vide No. VI.

Fazite vero putrefactae infantis particulae in corpus matris transeunt, hoc simili miasmate inficiunt, et nervos cerebrumque irritant. Cum mulieris corpus, si partus appropinquat, maxime ad spasmos inclinet, quaevis irritatio fortiores reddere potest motos epilepticos. Relictae secundinarum partes vel subita fluxus menstrui suppressio simili ratione puerperam hoc morbo afficiunt.

VIII. Haemorrhagia parturientium haud raro, et quidem e duplici fonte hujus morbi est causa periculosissima, a) Totum corpus debilitat, et utero, ut rite se contrahat vim eripit, qua via solummodo potest tolli haemorrhagia, semper magis magisque igitur enervat vires parturientium, et syncopen, convulsiones immo epilepsiam creat.

b) Cumulatur sanguis coagulatus in utero, ibi putrescit, nervos irritat, casusque hujus generis parat. Sanguinis

ejectio e naso atque ore tanta vehementia furere potest ut inde, procreata epilepsia, matris infantisque vita in haud exiguo versetur periculo. Extenso utero abdominalia premuntur vasa, capitis vero pectorisque, eo nimis implentur; haemoptysin autem et narium haemorrhagiam saepius eadem ex causa ortum ducere, nemo est qui dubitet.

Sect. III.

Medendi ratio.

Quum medico clinico cujusvis morbi causae explorandae sint, tum imprimis hae convulsionum et epilepsiae parturientium aetiologiae investigentur necesse est, nam sunt diversissimae et saepius occultae, adeo ut plerumque, licet omnem impendeat curam nil certo constituere possit medicus. Ab earum recta cognitione saepissime faustus vel infaustus curationis exitus pendet. Maximi momenti impedimentum, quod hujus morbi sanationi

B